

18  
ande ber. Car.  
dinalis fct.

mitatis/prudentiæ/pudicitia/pietatis/sollicitudinis/predicatur in Moyse duce le-  
gislatore/& David atq; sanctis priscis ducibus: hoc totū nostra etate/pricipes chri-  
stianissimi Hispaniarū/a deo fuerunt iure affecuti. Nec ea sunt in abscondito: quæ  
iam totus una uoce personat orbis. Quid Hispania ferox? Pridem impiis & barba-  
ris mixta: ad humanitatē & mores/mutata est. Boni afficiunt premio: impiis sup-  
plicium est in promptu. Docent hec qui Romæ degunt/percharissimi familiares  
ipsis regibus Reuerendissimus. D. Ber. Caruaial Cardin. sanctæ Crucis: & eorum  
orator illustris/dominus Gasias Lassus. Nam alter inter Cardinales: ut inter stel-  
las luna minores fulget/doctrina/uita/litteris/moribus/pietate. Alter uero etiā lit-  
teratis semper imixtus & iustis atq; religiosis: tam moratus est/ut eum ueluti alte-  
rum Catonē uenerentur: tā iustus/& plenus castimonie atq; religionis: ut undiq;  
in se omnium animos simul/& oculos conuertat. Nō igitur mirum: si tales seruito-  
res atq; enutriti regia domo/tales principes habent: qui uniuersum orbem illumi-  
nant/& ueluti dii ac uera numina sint & dicantur. Quales domini (inquit Crisosto-  
mus) tales & serui. Quam ob rem ipse incognitus facie principibus christianissi-  
mis/uirtute uero toti orbi notissimis/dicauit opera mea antiquitatum: nō q; iam se-  
nex Theologiā professus his studeam: sed q; e sepulchris/& infernis fucinis abscon-  
sa: & primum e latebris educta & in lucem prodita/eo tēpore quo Beticæ regno po-  
titi estis: iure Beticis uictoribus regibus/primū dicata sunt: Donū quidē minimū/  
ex parte mei offerentis: sed maximū ex parte auctorū/& eos suscipientiū principū/  
quos christianissimos deus sublimis & altissimus indies feliciores/& altiores effi-  
ciat: ad felicem statum christianorū/& ecclesiæ sanctæ dei. Amen.

**EIVSDEM FRATRIS IOANNIS ANNII Comentaria inci-  
piunt: cuius prologus est primus de Etruscis institutionibus.**